EXAMEN CLASSIS POLYGAMIAE

♦

THUNBERG

D. D.

EXAMEN

CLASSIS POLYGAMIAE

CUJUS PARTEM PRIOREM

VENIA EXP. FACULT. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA
MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB. HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND. HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET. CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR BEROL ET. FRANCOF. ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARLEM. AMSTELD. BONNENS. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. MEDICO-BOTAN. ET HORTI-CULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG. WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL. ET LINN. MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT. NATION MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

ELIS HEDRÉN

VERMELANDUS.

IN AUDIT. BOTANICO DIE I JUNII MDCCCXXV.

H. A. M. S.

UPSALIÆ
EXCUDEBANT PALMBLAD ET C.

Parentibus Optimis

pietas Filii.

EXAMEN CLASSIS POLYGAMIÆ

Polygamiæ classem plantarum in Systemate suo sexuali illustris Auctor describit, quod præter florem hermaphroditum alius flos in eadem specie sexus diversi progignatur. Hæc idea deinde fuit extensa ad illos flores vere hermaphroditos, in quibus vel stamina fuerunt castrata, vel pistilla aut germina sterilia et abortientia. Ob has rationes recentioribus temporibus classis Polygamiæ immense aucta increvit. Et dum in plantis, fruticibus et inprimis arboribus numerosi flores perfecte hermaphroditi vel castrati, vel minus perfecti decidunt, vel ipsa pistilla abortiunt, necesse erit, ut hæc classis continuo magis magisque onusta erit, cujus genera facile, quin non raro multo facilius et facillime ad alias classes possent amandari. Plurimæ arbores proferunt flores polygamos, si non omnes, et non paucæ plantæ illis variant. Linné addit: plura forsan ad hanc classem, Polygamiam scilicet, amandari possent genera, dum plures liceat examinare vivos flores, e. gr. *Ilex*, *Æsculus*, *Laurus*, *Rhamnus*, *Rhus*. Tota Syngenesiæ classis, excepto primo ordine, polygama est; umbellatæ plurimæ intra umbellas suas multifloras polygamæ florent; arborum ingens numerus flores steriles profert, valde injuste ad Polygamiam relatus vel referendus. Quis diceret *Acerem* polygamum, cum ne unicus quidem flos caret pistillo, licet multi flores

res steriles fiant, ut in *Ceraso* et aliis, dum mille flores fertiles fructum maturare valeant.

Cum itaque in Polygamia flores hermaphroditi semper adesse debeant, grave numquam erit negotium, secundum numerum staminum et pistillorum, Genus ad Classem reducere, nullo respectu habito ad alterum separatum sexum. Nulla exsistere potest Polygamia absque flore hermaphrodito, et hoc dato, data quoque est classis. Difficile ergo non est, viso hermaphrodito flore, invenire classem; sed difficile, immo longe difficilius erit dictu, an planta quæstionis sit polygama; et dum semper planta hermaphrodita ad classem secundum staminum numerum reduci potest, classis Polygamiæ omnino superflua, nec ullo modo necessaria erit. Sique hæc abrogatur classis inutilis, numerosa et gramina et alia genera ad naturales suas classes et cognata genera mirum in modum videbimus relata. Ill. Præses, millenis observationibus edoctus, Polygamiæ classem excludit simul cum Gynandria et ambabus diclinis, Monoecia et Dioecia.

In Polygamia hoc frequentissimum est, quod præter hermaphroditos adsint masculi flores vel in eadem, vel diversa planta; rarius uterque sexus seorsim.

In toto Systemate Sexuali nulla classis magis est inutilis, magis confundens, magisque noxia, quam quidem classis Polygamiæ. Confusum semper erit Chaos, quo omnis plantarum cognitio redditur vacillans, dubia et incerta. Si enim cuidam contingat invenire unicum tantum sexum, alter necessario quærendus erit, vel in eadem planta, vel distincta; et hac inventa, verosimiliter sibi persuadebit, quod sit vel monoica vel dioica, licet vere sit polygama, cum adhuc ejusdem speciei exsistere

possit

posſit alibi etiam hermaphrodita, qua de re ne ſomniare quidem potuit. Pariter ſi quis florem examinat hermaphroditum, ignorans alium quoque exſiſtere ſexum ſeparatum, ſemper de claſſe erit incertus et errorem committet, ſi determinare velit. Numquam ergo Botanicus certus eſſe poteſt de alicujus plantæ vera claſſificatione, antequam omnia ejus generis ſpecimina in toto vaſtiſſimo orbe obvia, examini ſuo ſubjicere potuit. Indagato autem vel flore hermaphrodito, vel utroque ſexu ſeparato, ſecundum numerum ſtaminum atque piſtillorum planta ſemper ad claſſem veram reduci poteſt, nullo habito reſpectu ad occaſionales anomalias, cum tam in illis, quam in his ſæpiſſime numerus et qualitas partium fructificationis eadem obſerventur.

Holcus et reliqua in Polygamia, infelici momento, collocata graminum genera non poſſunt modo, ſed debent ad Triandriæ claſſem, ad naturalem ſuum ordinem et indubiam familiam amandari, cum omnia hæc polygama gramina ſemper tribus inſtruantur ſtaminibus. De *Cenchro* idem teſtatur Schreber, dum dicit: Commode ad Triandriam, Monogyniam transferri poteſt. Quod ergo de *Holco* dicitur, dici poteſt de ceteris omnibus graminum generibus polygamis. In *Holco*, *Andropogine*, *Anthiſtiria*, *Chloride*, *Elyonuro* et aliis flores hermaphroditi ſeſſiles et maſculus adjacens pedicellatus; in *Maniſuride* flores hermaphroditi in latere adverſo receptaculi, rachis dicti, ſeſſiles ſunt; maſculi in latere ſpicæ averſo; in *Ægilope*, *Colladoa* et *Tetrapogine* hermaphroditi flores ſunt laterales et floſculus maſculus intermedius; in *Ægopogine* et *Iſchæmo* floſculus exterior eſt maſculus, interior hermaphroditus; in *Apluda* flos inferior hermaphroditus, femineus ſuperior deprehenditur.

Facile

Facile itaque Cenchrus, cui ſtylus ſolitarius, locum ſuum debitum habebit in *Triandria*, *Monogynia*, et reliqua omnia atque ſingula graminum genera, quæ valde injuſte ſub Polygamia militarunt huc usque, ut

Holcus, Andropogon, Tetrapogon, Ægopogon, Atheropogon, Anthistiria, Chloris, Ischæmum, Manisuris, Apluda, Ægilops, Rottboellia, Elyonurus, Colladoa, ſtaminibus tribus piſtillisque duobus inſtructa facillime ac ſummo jure referri posſunt et debent ad *Triandriam*, *Digyniam*.

Chrysitrix ad graminum familiam relata quidem fuit, ſed eſt quaſi media inter liliaceas et gramina, floreſcentia valde ſingulari inſtructa, ſcilicet ſpatha, ut in *Siſyrinchio* et *Moræa*, et corollis glumaceis, ut in graminibus. Stylus ſemper unicus conſtans, filamenta vero plurima ſunt uti et paleæ glumaceæ numeroſisſimæ. Relatum fuit genus a plurimis ad Polygamiam, Dioeciam; cum vero, præter florem maſculum, ſemper conſuli debeat flos hermaphroditus, reduci debet vel ad *Polyandriam*, *Monogyniam*, ad quam clasſem retulit Præſes, vel forſan verius ad *Monandriam*, *Monogyniam*, ob filamentum ſingulum unicum intra ſingulam paleam corollinam.

Spinifex, ſingulare gramen, ſemper inſtruitur floribus hermaphroditis, triandris, digynis, adeoque facile et merito adſociari debet ceteris ſuis cognatis in *Triandria*, *Monogynia*, licet varie collocatum fuit genus, ſcilicet a Murraijo in Polygamia, Monoecia, et a Schrebero in Polygamia, Dioecia.

Didymandra filamentum unicum habet intra ſquamas amenti, et illud biantheriferum cum feminæ ſtylis

tribus

tribus in eodem amento. Pertinebit itaque ad *Monandriam*, *Trigyniam*.

Ailanthus variat quidem ſtaminibus duobus et tribus, atque ſtylis tribus, usque quinque; videtur tamen poſſe collocari vel in *Diandria*, vel, ſi mavis, in *Triandria*.

Gyrocarpus in flore hermaphrodito gerit quatuor ſtamina et ſtylum unicum, facile ergo referendus ad *Tetrandriam*, *Monogyniam*.

Valantia, *Galio* valde affinis, ad Polygamiam ideo fuit relata, quod flores non pauci abortiant, licet in omnibus adſint et ſtamina quatuor et ſtylus. Quæ in horto Upſalienſi quotannis floret *Valantia cruciata*, floribus omnibus hermaphroditis, a nemine pro polygama haberetur, ſed ſine omni dubio et hæſitatione relata foret ad *Tetrandriam* et *Monogyniam*, ceteris plantis ſtellatis proxima.

Parietaria æque injuſte relata fuit ad Polygamiam; et *Urtica* ad Monoeciam; utrumque genus externo habitu valde conveniens non deberet claſſe ſeparari, ſed in *Tetrandria*, *Monogynia* adſociari. Hoc eo magis valet de *Parietaria*, quod præter florem mere femineum ſemper adſint flores perfecte hermaphroditi, tetrandri, monogyni.

Atriplex, quæ a *Chenopodii* genere numquam ſeparari debuisſet, ſeparata tamen fuit et polygama reddita ob notam valde exiguam, a paucis obſervandam, ſcilicet, quod præter flores hermaphroditos plurimos pauci flores feminei inveniantur. Teſtatur Linné et Schreber: *Atriplex* absque flore femineo esſet *Chenopodium* et *Chenopodium* cum flore ejusmodi femineo esſet *Atriplex*; ſumma ergo affinitas

tas *Chenopodii* et *Atriplicis*. Cel. Præſes igitur *Atriplicem* non ſolum retulit ad *Pentandriam*, *Monogyniam*, ſed etiam *Atriplicem* cum *Chenopodii* genere conjunxit.

Planera vix aliud eſt, quam *Ulmi* ſpecies tetrandra et polygama. Ad *Ulmum* ante fuit relata, et nobis videtur minime debere diſtingui, ſed cum *Ulmi* genere conjungi.

Brabejum in eadem arbore et in omnibus floribus et ſtaminibus et piſtillis inſtruitur, ſic ut ſine omni hæſitatione Cel. Præſes genus *Tetrandriæ*, *Monogyniæ* inſeruerit.

Ophioxylon ob filamenta quinque et ſtylum ſolitarium florum hermaphroditorum pertinet ad *Pentandriam*, *Monogyniam*, licet flos maſculus imperfectus non niſi filamenta duo habeat.

Wheelera præter flores perfecte hermaphroditos in eadem planta profert et flores maſculos et femineos ſeparatos. Nihilo tamen minus referri debet ad *Pentandriam*, *Monogyniam*.

Celtis flores ſuperiores ſunt hermaphroditi, inferiores maſculi. Stamina licet varient 5 et 6, cum ſtylo duplici, ſecurius tamen ad *Pentandriam*, *Digyniam* reducitur.

Gouania hermaphroditos profert flores fertiles et ſimul maſculos in eadem planta ſteriles, quorum ſtigmata obſoleta, ideoque abortientia. Facile fertur ad *Pentandriam*, *Monogyniam*.

Hermas re vera eſt planta umbellata, in cujus umbella terminali flores examinantur hermaphroditi et in umbellis lateralibus tantum maſculi. Cum *Pentandris*, *Digynis* Umbellatis conjungi debet et vix genere a *Buplevro* ſeparari.

Trat-

Trattenickia in omnibus ſuis floribus utrumque ſexum includit, ea tamen differentia, ut in floribus ſic dictis maſculis piſtilli tantum rudimentum obſervetur. Si cum *Canario* conjungi non poteſt, inſeratur *Pentandriæ, Monogyniæ.*

Coprosma, ut plurimæ aliæ polygamæ, præter hermaphroditos etiam explicat flores mere maſculos. Stamina variant 5, 6, 7; aptisſime tamen inſerenda *Pentandriæ, Digyniæ.*

Xanthorhizæ partes fructificationis variare ſolent calyce, corollis, ſtylis; ſed nihilo minus videtur posſe referri ad *Pentandriam, Pentagyniam*, juxta *Xanthoxylon*, a quo ſeparata fuit, ob exiguam illam notam, quod flores primi ſteriles. In *Anthoxylon* partes etiam valde variant. Cultum in Horto *Gœttingenſi* omnes flores produxit hermaphroditos, claſſem Pentandriæ aperte indicantes; ad Dioeciam, Pentandriam a Murraijo fuit relatum.

Kernera, ſi a Zoſtera vere ſit diſtincta, cum flos maſculus in omnibus cum hermaphrodito conveniat, excepto piſtillo. cujus tamen rudimentum adeſt, in *Hexandria, Monogynia* inſeri oportet.

Veratrum flores monſtrat et hermaphroditos perfectos cum filamentis ſex, germinibusque tribus et ſtylis vix manifeſtis, et præterea alios flores, maſculos dictos, cum rudimento obſoleto vano piſtilli. Retulit hoc genus Ill. Præſes ad *Hexandriam, Trigyniam*, idque cum *Melanthio* conjunxit, cum duo hæc genera omnino omnibus fructificationis partibus conveniant, licet in *Veratris* multifloris plures ſteriles occurrant flores et capſulæ tres magis unitæ cohæreant.

Koel-

Koelreutera nihil omnino differt qua florescentia a plantis ordinario modo florescentibus, quam quod præter flores hermaphroditos alii flores masculi dentur. Nihil itaque impedit, quo minus ad *Octandriam*, *Monogyniam* referatur.

Hypelates et Castelæ eadem est ratio ac *Koelreuteræ*; exstant enim præter hermaphroditos etiam masculi flores cum rudimento pistilli in ejusdem plantæ distincta panicula.

Acer partibus fructificationis variare solet in diversis speciebus, sed in omnibus floribus occurrunt et stamina et pistilla, licet jam illa, jam hæc imperfecta marcescant. Et dum facillime genus hocce referri possit ad *Octandriam*, *Monogyniam*, nemini necessarium erit illud in Polygamia quærere.

Mimosa æque amplum ac polymorphum genus ad Polygamiam fuit relatum, cum infinite varient fere omnes fructificationis partes. Adserit Linné: fructificationis pars nulla in hoc genere constans. Et porro: flores multi masculi decidunt; alii feminei, alii hermaphroditi in variis sunt. Necesse igitur fuit, ut in plura genera divideretur, unde orta sunt *Mimosa*, *Inga*, *Schranckia*, *Desmanthus*, *Acacia*. *Mimosa* ob stamina octo et stylum unicum *Octandriam*, *Monogyniam* ingredietur.

Desmanthus profert hermaphroditos flores cum separato neutro flore, stamina decem et pistillum unicum, ideoque in *Decandria*, *Monogynia* inseri deberet, sed a ceteris Mimosis non separandus erit.

D. D.

EXAMEN

CLASSIS POLYGAMIAE

CUJUS PARTEM POSTERIOREM

VENIA EXP. FACULT. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB. HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND. HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET. CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR. BEROL ET. FRANCOF. ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARL M. AMSTELD. BONNENS. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. MEDICO-BOTAN. ET HORTI-CULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG. WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL. ET LINN. MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT. NATION MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

JONAS BERGGREN

VERMELANDUS.

IN AUDIT. BOTANICO DIE I JUNII MDCCCXXV.

H. P. M. S.

UPSALIÆ

EXCUDEBANT PALMBLAD ET C.

BRUKS-PATRONEN

HÖGÄDLE

HERR OLOF BERGGREN

af

Dess tacksamme

JOHN.

Älskade Syskon

af

Broderlig tillgifvenhet.

Acacia et Inga numerofa habent ftamina et, invicem differunt imprimis fructu, atque *Acacia* filamentis plurimis liberis, *Inga* vero plurimis monadelphis. Utraque erit ad *Polyandriam* releganda, in *Monogynia*.

Heritierae florefcentia valde eft fingularis. In flore hermaphrodito Antherae Decem funt fesfiles, quarum duo inter fingula germina; in flore mafculo filamentum eft columnare, in quo antherae minutae in cylindrum connatae funt. Secundum potiorem florem ad *Decandriam*, *Pentagyniam* reducendum erit genus.

Terminalia praeter florem hermaphroditum, *Decandrum* et *Monogynum*, adhuc alius eft mafculus. Pertinet ad *Decandriam*, *Monogyniam*

Feronia facillime refertur ad *Decandriam*, *Monogyniam*, cum in omnibus floribus adfit uterque Sexus, licet in mafculis piftilli tantummodo fit rudimentum.

Gimbernatia. ut plurima alia, ad Polygamiam relata Genera. profert flores mafculos et hermaphroditos, ac facile refertur ad *Decandriam*, *Monogyniam*.

Anacardium ita eft comparatum, ut omnes flores proferat hermaphroditos, et mafculos hermaphroditis immixtos, quorum germen abortiens eft. Optime collocatur in *Decandria*, *Monogynia*.

Stalagmites, Calophyllum et Mammea, mafculum proferunt florem praeter hermaphroditum et ob numerofa ftamina locum fuun invenient in *Polyandria*, *Monogynia*.

Clusiæ eadem fere eſt ratio, licet partes fructificationis magis variare ſoleant. Secundum *Linnæum* flores alii a parte maſculina, alii femininea ſteriles ſunt. Introducta erit in *Polyandria*, *Monogynia*.

Briedelia ſi a *Clutia*, multum variante, disjungi debeat, ob flores hermaphroditos completos cum quinque filamentis monadelphis et ſtylis duobus, et præter hos ſeparatum florem maſculum (gynandrum) et diſtinctum femineum, referri meretur ad *Monadelphiam*, *Pentandriam*.

Brosimum ideo ad Polygamiam a Wildenowio fuit relatum, quod amentum apice ſit piſtillo ſolitario inſtructum in flore hermaphrodito, et quod præterea maſculi alii ſint flores. Sed cum flores maſculi etiam inſtructi ſint ſtylo, non alienum erit Genus ad *Monandriam* et *Monogyniam* referre. Ad Dioeciam, Monandriam retulit Schreber et Linné.

Lardizabala in eo certe ſingularis eſt, quod in flore hermaphrodito ſtamina ſex et in maſculo filamentum columnare cum antheris ſex ſesſilibus. Character vero, cum a flore hermaphrodito ſumendus ſit, relatum fuit genus ad *Polygamiam*, *Hexandriam*, licet ad Hexandriam optime referri posſit.

Fraxinus variat partibus fructiſicationis, ſive floribus completis et incompletis. Ornus conſtanter hermaphrodita eſt. Ob ſtamina duo et ſtylum ſimplicem ad *Diandriam*, *Monogyniam* erit relata.

Anthospermum olim a Linnæo et Murrayo ad Polygamiam relata, deinde a Schrebero, ex obſervationibus

nibus Cel. Præſidis, ad Dioeciam transportata fuit et Tetrandriæ claſſis incola habenda erit.

Stilbe revera eſt planta *Tetrandra*, *Monogyna*, præter hermaphroditum florem, flore maſculo prædita.

Laurophyllus æque commode refertur ad *Tetrandriam*, *Monogyniam*, licet quandoque adſit flos maſculus.

Isquierdæ eadem eſt ratio, ad *Tetrandriam* referendæ.

Pennantiæ et Hamiltoniæ præter hermaphoditos inveniuntur in diſtinctis individuis etiam flores maſculi; commode poſſunt referri ad *Pentandriam*, *Monogyniam*.

Nyssæ eſt eadem ratio. Scheeber numerat tamen ſtamina decem; Wildenow modó quinque invenit.

Breynia, ſimilis prioribus, in eo ab illis differt, quod præter hermaphroditos, ſeparatim habeat et flores maſculos et femineos, ad eandem Claſſem tamen referenda.

Caballaria et Hydrocarpus cum *Pennantia* et *Hamiltonia* omnino coveniunt, et ideo eandem claſſem ingredi debent.

Griselinia ſimilis quidem eſt prioribus, ſed cum ſtyli ejus ſint tres, ad *Trigyniam*, *Pentandriam* pertinebit.

Scopoliæ nimis adhuc obſcurum eſt genus.

Pisonia in plurimis cum ſupra allatis convenit; ſtamina

mina variant a quinque usque ſeptem. A SCHREBERO ad *Polygamiam*, *Dioeciam* fuit relata, ad *Pentandriam* transferanda.

ARCTOPUS revera eſt umbellata planta, umbellis ſuis unicuique primo intuitu naturalem ſuum ordinem indicans; ſed ſingulare eſt, quod individua multa occurrant, quorum flores omnes abortiant, et ob quam cauſam LINNÆUS hocce genus, a ſociis dilaceratum ad Polygamiam transtulit, cujus locus erit in *Pentandria*, *Digynia*.

PANAX itidem planta eſt umbellata, cujus eadem ratio et claſſificatio.

BURZERA variat numero ſtaminum a quinque ad decem, et profert flores hermaphroditos ſimul cum maſculis. Forſan aptisſime in *Hexandria* collocari poteſt.

GLEDITSCHIA floret et floribus maſculis et hermaphroditis in eodem amento terminalibus, atque floribus femineis in diſtincto individuo; facile ad *Hexandriam Monogyniam* accedet.

DIOSPYROS ſemper omnes flores profert hermaphroditos, adeoque in *Octandria*, *Monogynia* inſerenda erit, licet in maſculis, ita dictis, floribus, piſtilli tantum ſit rudimentum.

De SCHLEICHERA idem valet, ac de *Dioſpyro*, licet hic ſtamina numero interdum varient, a ſex usque novem.

SMEGMARIA et KAGENECKIA in eo cum multis aliis conveniunt, quod præter hermaphroditos, adſint alii maſcu-

mafculi. Illa tamen facile referri poteft ad *Decandriam*, *Pentagyniam*, hæc ob ftamina 16 usque 20, ad *Dodecandriam*, *Pentagyniam*.

Lightfootia floret triplici modo. Profert et flores hermaphroditos et in diftinctis individuis flores mafculos, inque aliis femineos. Stamina cum fint numerofa et ftigma fesfile fimplex, relata erit ad *Polyandriam*, *Monogyniam*, generi *Proskiæ* proxima.

Ceratoniæ cum *Lightfootia* florescentia convenit, hermaphrodita, mafcula femineaque, fructu tamen valde diverfa — Cum vero hujus ftamina tantum quinque et ftylus folitarius, ad *Pentandriam*, *Monogyniam* referri oportet.

Ficus potius ut cryptogama, quam phænogama confiderari poteft, cum flores femper abfconditi inveniantur intra receptaculum carnofum, cavum, undique claufum, fenfim increfcens, maturefcens et edule. *Caprificus* frutex folos flores mafculos proferens femper fterilis eft. *Erinosyce* alios flores mafculos, alios in diftincto individuo femineos profert; rarisfime femina maturantur poft foecundationem a *Cynipede* quadam factam. Inter alios ficus flores mafculi pauciores, feminei inferiores numerofi deprehenduntur. In floribus mafculis rudimentum adeft piftilli caducum, adeoque flos hermaphroditus. Cumque filamenta fint tria et ftylus unicus, genus hoc prolixum relatum voluit Cel. Præfes ad *Triandriam*, *Monogyniam*.

Obs. *In Examine Classium diclinarum plures irrepserunt errores typographici; præcipuus autem in Examine classis Monoeciæ p. 13. lin. 8, occurrit, scilicet* Empetrum, *ita corrigendus, ut legatur* Empleurum.

THE-

THESES.

I.

Nemo quidem ſit negaturus, ſtudium hiſtoriæ naturalis optimam cultori ſuo afferre utilitatem, illi vero præcipuam, qui in ſtudiis litterarum progresſus facere conatur.

II.

Quanto majores in ſtudio hiſtoriæ naturalis profectus quisque faciat, tanto clarior ſapientia Creatoris emicat, qui cum vilisſimis, tum maximis naturam admirandam fundavit.

III.

Nihil eſt, quod majorem in ſe vim habeat humanum animum a terrenis ad coeleſtia auferendi, quam gravior rerum naturæ contemplatio.

IV.

Omnium quidem rerum, quas natura produxit, nulla omnino per ſe noxia eſt aut mala, ſed ſi quid ex his rebus patiamur noxæ aut incommodi, ipſi in vitio ſumus.